Quelle:
Copyright:



meditationum novem priora complecti. Erasmus, quem secuti sunt editores opp: S. August. Lovanienses T. IX. dicit authorem earum esse vel Augustinum, vel qui ejus libros non indiligenter legit. Verum Bernardus Vindingus, et editores Mauriani illas Augustino abjudicandas esse non dubitant ex rationibus in admonitione /: l. c: col: 103 propositis. Idem ex codice veteri Abbatiae Mettensis capita meditationum viginti quatuor posteriora /: totum enim ibidem XLI capitibus absolvitur. /

Joañes Abbas Fiscamnensis.

vindicare cuidam Joanni, Abbati, uti creditur Fiscamnensi, qui anno 1178 diem obiit. An etiam author nostrarum sit, dubito.

6. Fol: 106a–109a.

S. Augustini Sermones tres.

S. Augustini Sermones tres. Inscriptio sonat: "Augustinus de sanitate anime, et de indigna familiaritate mulierum". Primus sermo incipit: "Nostis fratres karissimi omnes homines sanitatem corporis querere." Secundus: "Bene nostis fratres karissimi me vobis frequenter supplicasse". Tertius: "Osi videatis fratres kariss: quia mea non cessat humilitas. In fine additur: "Explicit augustinus de sanitate" &c. Verum sermones istos Augustini non esse certus sum, tum quia ab editoribus Maurianis /: excepto secundo/ ignorantur, tum quia ab Augustini dictione quam longissime deflectunt. Secundus quidem sermo, qui incipit: "Bene nostis, extat in editione memorata T. V. in appendice col: 462. Sed censura ab editoribus haec notatur: "Nomine Augustini citavit olim Bonifacius Moguntinus episcopus, Germanorum dictus apostolus in epistola ad Zachariam Papam. Haud immerito tamen per Lovanienses in Appendicem rejectus est, qui notant Lipsium du-